...Rex.

Otrębusz Danielis. Panegyricus ad Sereniss. Vladislaum IV in primo ad regnum Poloniae ingressu.

# PANEGYRICVS,

*Ad*

SERENISSIMVM

ac

POTENTISSIMVM

POLONIÆ ET SVECIÆ

REGEM

# VLADISLAVM IIII.

IN PRIMO AD REGNVM

POLONIÆ INGRESSV.

*Generoso & Magnifico Domino*

D. IOANNI RYLSKI

S. R. M. AVLICO;

*A*

*M. DANIELE OTREBVSZ*

*In Academia Cracouień. Scholarum Nouodworscianarum Professore*

OBLATVS.

CRACOVIÆ,

Sumptibus Nouodworscianis, Anno 1633.

*Generoso & Magnifico Domino*

# D. IOANNI RYLSKI, S. R. M. AVLICO, SINGVLARI PATRONO ET BENEFACTORI AMPLISSIMO.

## Salutem & Perennem felicitatem.

*OMnes hoc à natura insitum habemus Generose & Magnifice Domine, vt eos, à quibus beneficia accepimus, omni officij, & obsequij genere colamus, ac veneremur. Nullum enim mortales vitium maius esse arbitrantur, quàm dum ingrati animi notam aliquis incurrit; nullum scelus atrocius esse putant, quàm dum ingratitudo alicui, ex qua omnia scelera in genus humanum pleno alueo feruntur, obijcitur. Hanc tam teterrimi mali labem ne incurrerem, semper id defixum in mente habui, vt ineffabilium Tuorum beneficiorum, mihi vberrimè exhibitorum, gratum me ac memorem esse, vel hoc tenui scriptionis argumento euidenter omnibus demonstrarem, Tuisq; meritis erga me singularibus, aliquâ ex parte gratias saltem me velle, cùm non possim referre declarare. Fateor quidem ingenuè hæc mea esse rudiuscula, & nequaquam paria magnitudini præconiorum Serenissimi Regis, in cuius laudibus amplissimis commemorandis versantur. Verùm cùm & Dijs lacte agricolæ, & passim agrestibus multæ gentes supplicant: nec vlli fuit vitio Deos colere*

*quoquo poſſet modo. Accipies Generoſe Domine & Mæcenas Ampliſſime hoc noſtrum Leuidenſe munuſculum hilari & ſereno (vt ſoles) vultu, proq́; Tua prudentia, etiam ſimplici orationis cultu veſtitum Principem ſplendere putabis: memor & in agreſti lacinia auguſtiorem animi habitum benè apparere. Certus ſum me tenui incultæq́; oratiuncula concredidiſſe heroicas ac propè diuinas Virtutes Sereniſsimi Regis noſtri; quem non illi ſolùm amant, & tanquam numen obſeruant, quos Sacra Sereniſsima Regia Maieſtas ſuâ béât præſentiâ, ſuiſq́; opibus, in honeſtiſſimo ſtudiorum otio fouet, atq́; ornat; ſed alij etiam, qui ſemotiſſimas orbis inhabitant plagas. tàm nobilis animi famâ concitati, non viſum admirantur, ſuſpiciunt. Nec tamen ideo concido animo: habet quippè inclyta Domus Veſtra hoc proprium ac præcipuum, quòd omni humanitate, ac benignitate literatos, & optimarum artium cultores complectatur: habet hoc, & ſemper habuit animus Tuus Generoſus, & benè eruditus, Magnifice Domine, quòd conſcius, quanto cum labore proficere detur mortalibus, parua placidè excipiat, errata humanitus illapſa, flectat in partem benigniorem, ſed iam Panegyricum audi, quem non ille Athenienſis Iſocrates, præclarus Eloquentiæ Author, ſed Polonus, & à dicendi facultate minùs inſtructus confeci, quem quidem Cupio Tibi eſſe commendatiſſimum.*

M. DANIEL OTREBVSZ.

PANE-

# PANEGYRICVS.

SI quid vnquam huic Ampliſſimo Regno, Dei beneficio atq; munere datum fuit, quò meritò gaudijs omnibus, ac lætitijs mirandum in modum incederet: id profectò expectāda magis, quàm ſperanda dies obtulit; cùm effuſa obuiam hominum omnis generis, ætatis, atque ſexus ingens multitudo officij gratiâ, læta ac tripudians, Te Regem ſuum magnoperè expetitum, ſenatus authoritate electum, ordinis equeſtris concordi animo comprobatum, excepit. Quod equidem, eſt non exiguo fælicitatis loco ponendum; rarus enim reperitur multitudinis in vnum conſenſus. Ipſa verò rei amatæ Imago, Sereniſsime Rex, habet neſcio quid voluptatis, vt & abſentis deſiderium nouo quodam ipſius in effigie, intuitu leniat, & præſentem atque oculis ſubiectam rursùm obijciat oculis, animumque iam vnâ geſtientem lætitiâ, nouo gaudio perfundat. Quò minùs mirari neceſſe eſt, ſi ad ſolennem hunc inaugurationis Tuæ diem, quo æternæ fædus amicitiæ cum conſorte, Tibi diuinitus deſtinata, religioſa fide pepigiſti: non aliud

Tuis oculis manibuſque ab Illuſtriſsimis Proceribus, Senatu Ampliſsimo, cæteriſque inclytis, potentiſsimis, Regni huius Nobiliſsimi ordinibus offertur, quàm eius effigies Reipub. cuius perennaturæ beneuolentiæ, Tuam non minùs perennem, luce hâc auſpicatiſsimâ conſecraſti. Plauſum Tuo genio, feſtæque lætitiæ flos Nobilitatis daturus, quid potiùs obtuliſſet? Nimirum illam hîc Heliconijs coloribus matrem leuiter adumbratam habes, cuius eximiæ ac planè inſignes corporis, animique dotes, Tuum in ſe animum iam dudùm conuerterunt. Efficta iam antè Tibi melioribus penicillis in animo eſt Imago ampliſsimæ huius, & Florentiſsimæ Reipublicæ: in quâ ſolâ reperiſti ea omnia decora, quæ magno ſtudio in alijs, ſæpè ſingula cæteri conſectantur: non ignota Tibi virtus illa, quæ in pulcherrimo corporis domicilio nacta ſedem, nunquam ita latêre potuit, quin oculis intuentium pulcherrima indicia ſuæ proderet maieſtatis, cognita Tibi probè ſingularis indoles, morum admirabili comitate illuſtris, quam vnam Tuæ Indolis Virtutiſque conſortio perenni, parem cenſuiſti, eique Tuam fidem & beneuolentiam æternæ Societatis Sacramento addixiſti; cuius dotes ſingulares, priùs in animo expreſſas habuiſti, quàm in contentionem optatiſsimæ neceſsitudinis venires. Et quidem fortuna nunquam vacationem dans à grauiſsimis luctibus,

bus, nec natalem Regnorum periodum excipiens, ita adopertam per omnes membrorum artus ferreis laminis, vt nulla ex parte vulneribus eius pateret, offuderat tenebras Reipub. à maligna Interregni ſorte concitatas, turbaueratque æquor pacis; cum mærorem Sacris & profanis, ordini Equeſtri luctum, gemitum populo, ſquallorem Regno, nobis contractum nubibus cælum reliquiſſet. Ereptus tempore perincommodo non Dominus ſed Verus parens: cætuiq; extra aleam mutationis poſitorum ſpirituum annumeratus ille Rex: cuiuſmodi hoc in Regno ante nulli: extra quoque per quam pauci extiterunt: ſiue enim animi dotes ſpectentur: ſiue corporis bona inueſtiganda proponantur; ſiue quæ, fortuna largiri ſolet, ob oculos conſtituantur; tantum religioni detulit, vt primas in ea haberetur: ea omnia, quæ curſum eiuſdem remorari viſa ſunt ſuſtulit, atque ita ſuſtulit, vt non aſſentatoriè, ſed verè, cum Iozaphato, Ezechia, Iozia, alijſque Regibus pijs conferri compararique potuerit. Si ergo morte conſueuimus noſtrorum æqualium dolere, quorum obitus, vel exitium, vel aliquod detrimentum rebus ipſorum priuatis, nobis verò, familiaribuſq; cæteris ſolitudinem quandam attulit; profectò impium atque nefarium, & inauditi cuiuſdam ſtuporis exiſtimandum eſt, ab eius diſceſſu, nihil aut parum capere doloris, quo cum ipſa Reſpub.

miſera-

miserabili funere elata esse videbatur. Iacebant omnia confecta senio, squalebant ciuitates vniuersæ, mærebat omnis ætas atque sexus: cùm ablatus esset, non immaturo quidem illo, sed, vt hominum more loquar, inopportuno certè funere Sigismundus Tertius Rex optimus quales non admodùm multos superiora sæcula viderunt: pulcherrimum pacis ornamentum, subsidium belli firmissimum, nobilitatis decus, inferiorum ordinum patronus; Christianorum columen, hostium terror: ac ne singula quæ sunt infinita consecter, Princeps, per quem stetit foro Iustitia, literis decor, religioni nitor. In tanto cunctarum Ciuitatum gemitu, à dolore nemo vacuus, ita certè secum loquebatur: Cui nos scenæ fata seruatis? quo diutiùs pertinacem animam trahitis? duri oculi, qui hæc videre possunt: immites animi: qui velle possent vitam, tot funeribus superstitem. Verùm vt solis ea est natura, vt quò densiori caligine fuerit circumfusa, aut tetriori nube obducta, eò, & expresior emineat, & clarior elucescat: vtq; flammæ ea vis est, vt quò fortius comprimatur, eò vehementiùs erumpat, altiùs euolet, latiùs diffundatur: Simili ratione, Mens illa ab omni mortali concretione secreta, spiritum per omnia commeantem, & singulis Regni Poloniæ partibus quasi accuratissimæ lyræ fidibus intentum, ita impertiuit, vt languentem, ac fluctuantem, iamq; in præceps ruentem

entem Rempublicam saluti redderet: & subleuaret in extremo positam periculo. cùm Te Serenissime Princeps, vniuersi populi, bonorumque omnium consensu creatum Regem, huic amplissimo præficeret Regno. Tanta enim vis posita est in eo, qui regit aut nauem, aut Rempublicam, vt omnes, quicunq; rem ad veritatis normam exigunt, & nauim putent in medijs procellis saluam, & Rempub. in medijs perturbationibus integram, si vel huius gubernacula gnauus, vel illius clauum gnarus rector tractet, & administret. Atq; equidem iniuria: Nemo enim ita est insanæ mentis, qui mortem Regis, magnarum nostrarum calamitatum futuram causam neget? Nemo, qui non intelligat, suâ salute contineri nostram, ac ex vnius solius vitâ pendere omnium nostram. Non frustra enim viri doctissimi dixêre: naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum iusta metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cælestis spiritus intrârit habitator. Itaque Te Serenissime Rex, cùm omnes vident, admirantur, diligunt, sequuntur oculis, animo tenent: Nemini iam mirum videri debet; si hâc exoptatissimâ Tui renunciatione, tam exhilaratum est vniuersum Poloniæ regnum: vt non solùm hominum tantùm cætus, rationis etiam expertes animantes: sensu deniq; carentes omnes res, infinitam quandam, & inusitatam lætitiam præseferant. Quod

enim, æternitas immensæ atq; interminatæ vitæ, de inexplebili penu misericordiæ suæ, quâ huiusce vitæ subleuat miserias, imbecillitatem erigit, solatur viduitatem, instruit inopiam, lenit acerbitatem, atque se orbitati regnorum præsentem vbiq; & clementem Deum impertitur, poterat præstabilius, aut pulchrius nobis munus dare? quàm Te & pium, & sanctum & ipsi Deo simillimum Regem. In cuius prudentia, pietate, clementia, cura, tanquam portu, iam tandem conquiescamus. Magnum fuisset in tanta vicissitudine rerum, habuisse prudentem Regem, maius in tanto totius Regni squallore, ne dicam funere, pium, maximum in tantis tenebris doctum, ac vigilantem. At habere & prudentem, qui pericula, & procellas impendentes, celeritate consilij auertat; & pium, qui turpitudinem abstergat exemplo vitæ; & doctum, qui tenebras dispellat subsidio doctrinæ; & vigilantem, qui rem restituat diligentiâ actionis; videtur, ita certum diuinæ misericordiæ signum, vt qui gemebant, Patriæ rem apud nos antè non solùm fractam, sed pęnè attritam, nunc certè, à Te Serenissimo Rege sperent, non solùm illas extremas tabulas, quæ hinc inde dispersæ iacebant collectum iri; sed totam etiam nauim planè iri restitutum. Nam siue quis ad primorum prudentium Senatorum tantum numerum, & dignitatem excellentem, oculos vertat: siue ad hunc no-

strum

ſtrum præſentem Illuſtrium Equitum ordinem, & conſenſum, facilè meâ quidem opinione iudicare poterit, fortunatam ac perbeatam eam Rempub. quæ tantorum, ac tàm multorum præſentium virorum conſilijs regatur. Si enim paruis initijs, & incrementis, ad tantum potentiæ dignitatiſque, paucitate & ruditate maiorum noſtrorum euecta, & ad felicitatis gradum adducta fuerit; quid non illi poſſimus polliceri & ominari? niſi ad multò ampliorem, ac ſtabiliorem gloriam poteſtatemq; eam peruenturam: tot conſilijs principum adiutam: tantâ virorum fortium multitudine circumſeptam: Imperatorum & præfectorum militum audaciâ, atque virtute munitam, & glorioſam: omni ſuffultam apparatu, opibus nunc quidem refertam maximis, & rerum omnium affluentiâ abundè quaſi inſtructam; quæ bona omnia ex eo illuſtriora cenſentur eſſe, quòd eius regimini ſubiaceant: qui non ſolùm eas rationes callet, quibus ornari, augeri, & conſeruari Reſpub. poſsit: ſed etiam eas, quibus vel attenuari, vel labefactari, vel euerti ſoleat. Quemadmodum Nauarchus, non is tantummodò prudens dicendus eſt, qui proſperæ ſecundæque nauigationis callet euentus, verùm etiam, qui tempeſtatum, ventorum procellarum vim, & naturam cognoſcit, ingruentiaque pericula euitat, ac nauem fluctibus, & tempeſtatibus turbatam, in tranquilliſsimum ſcit reducere

 portum

portum, ſaluam, & incolumem: Ita Regis prudentia pacato tranquilloque Reipub. ſtatu, laudem illam merebitur: ſed non tantam, quantam mereri ſit is iudicandus, qui eam ſeditionum ventis agitatam, maximiſque turbinibus & fluctibus ſeditionum afflictam, in ſerenam ac optatam tranquillitatem reſtituiſſet, ciueſque ſedatos, lenes, pacatos, & omni perturbatione carentes effeciſſet. Laudatur Theſeus, quod Athenienſes agreſtes adhuc & ſimplices, & per agros palantes, in ciuitatem coëgiſſet, legibuſque ſeruandis aſſuefeciſſet: ſed magis laudandus eſt Solon, qui ciuitatem ſeditione belliſque ciuilibus diſtractam in ordinem reduxit, legibuſque & magiſtratibus firmauit. Nec minùs celebrandum eſſe puto Camillum, qui Romam à Gallis euerſam pænè vindicauit, quàm Romulũ, qui eam ædificauit. Gratiores enim nobis ſunt dies, quibus cõſeruamur illis, quibus naſcimur. Nonnè præferendus etiam eſt Cicero Fabijs, quòd ille Romam ex ſcelerata manu Catilinæ eripuiſſet, hi pro patriæ libertate, ſociale bellum contra Veientes ſuſcepiſſent? Pompeius amauit Rempub. Cicero ſeruauit, adeò, vt diceret Pompeius, niſi Cicero eam ſeruaſſet, ſe non habiturum fuiſſe, vbi triumpharet: alijs benè geſtæ rei, ſibi conſeruatæ gratiam deberi, gloriabatur aliquando Cicero. Scipionis Aphricani virtutes, quis cum Cæſarum Pompeiorumuè virtutibus compa-

randas

randas putabit? magnas isti res pro Patria gesserunt: At ille confractam debilitatamque patriam, & quasi vno die duraturam, Annibalisque victricibus armis seruituram, non modò defendit, sed propagauit, etiam & auxit. Verum est illud

*Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.*

Sed quid mirum Theseos, Solones, Romulos, Camillos, Fabios, Cicerones, Pompeios, Scipiones, tales extitisse? cùm imitationis ardor, semperque melior aliquis, ad palmam præripiendam eos accenderet. Hoc certè summè est admirabile: quòd hic Serenissimus Princeps noster, sine exemplo, sine æmulo, secum ipse certans, cùm meliorem nullum se videret, vbicunque fuit, omni tempore maior, ac clarior euasit. Quare si perfusi suauitate oculi, vultus omnium contracti in amoris sinum tùm erant, cùm Augusti Cæsaris aduentu apud Capreas, ilicis veterrimæ, & ad terram iam demissi languentesque rami conualuerunt, præsagio futuræ tranquillitatis, quam toti Imperio Romano, Dominium eius erat allaturum. Rectiùs inaugurationis Tuæ felicitate Regnum Poloniæ, populo ac clero numerosum, commertio frequens, Sanctorum monumentis religiosum, Academiæ Cracouien. laude insigne, recreari visum est, & reliquæ omnes Ciuitates, quæ sunt amænissima habitantium viridaria, tanti Regis aspectu refici; quotquot autem istius Nobilis-

 simi

ſimi Regni ſedibus continentur, atque intra limites Sarmatiæ, amplas & ſpacioſas ditiones ſuas occupant Nobiles, exhilarari mirandum in modum videntur præſentia tua fauſta, facilique. Deniq; nulla ſunt oppida, quorum incolæ plurimi non ſeſe effuderint, ad ſpectandam viſendamq; Tuam hanc tantam authoritatem dignitatemque, quæ non niſi his, quibus terrarum orbis clauditur, contineri repagulis poteſt. Cùm autem tantum concurſum, & frequentiam, cùm tantam corporum, & animorum alacritatem, cùm in Te cunctorum oculos, & ora coniecta, cùm admirationem, & plauſum maximum animaduerto; non alio ſpectare hæc omnia dico, niſi vt ſpeciem quandam præbeant florentis, & exhilaratæ admodùm Poloniæ. Cuius vt primùm ſumma rerum potitus es: ita paſsim omnia conquieuerunt; vt poſt aduerſam maris tempeſtatem, reſidentibus cunctis ventis, & placido ſurgente ſole fluctus omnes deſidunt. Nam cùm antea omnia ferè in contrarium mutata eſſent, neque à bonis aliqua iam haberetur ratio, præſcriptarum legum, quarum vbiq; ſacroſancta inprimis debet eſſe obſeruantia. Dij boni, quàm magnam hic contemptus legum, & incredibilem, in omnibus rebus benè conſtitutis confuſionem, & ſubitam admirabilem mutationem fecit, quantùm de dignitate eius detraxit, quantùm publicam libertatem labefactauit, omnium benè intelli-

telli-

telligentium animi haud modicè animaduertunt,& turbato animo maiore cum trepidatione, & stupore suspensi, finem & euentum tam inopinatæ inuersionis, & periculosæ mutationis intuentur, ac intenti prospectant; cùm vident nullum Religioni, exiguum concordiæ, vix aliquem Iustitiæ relictum in Republica locum, fractis, & profligatis legibus, contemptâq; Iudiciorum maiestate, nullum magistratui, Imperiũ, Iuribus repudiatis, sed omnia Reipub. instituta confunduntur; violantur, turbantur, omnia sursum deorsum feruntur, ac cælum terræ miscetur, dum pro arbitrio suo quisq; cuncta facit, pessimi liberè in pernitiem bonorum grassantur, rapinæ designantur egentiores à locupletioribus opprimuntur, nemini audaciæ resistente, aut iniurias repellente, nihil deniq; tutum cuique, nihil certum, aut integrum, non facultates, non vita denique ipsa, cùm nemo prohibeat, cùm nulla patratorum fiat cóèrtio, omnia geruntur vi, fraude, ac cędibus, plena omnia contentionibus, dissensionibus, dissidijsq; omnia ad seditionem collapsa esse, iuxta illud.

*Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus*
*Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est,*
*Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,*
*Lurida, terribiles miscent aconita, nouercæ,*
*Filius antè diem patris inquirit in annos,*
*Victa iacet pietas, & Virgo cæde madentes*

*Vltima*

*Vltima cælestum terras Astræa reliquit.*

Quorum omnium malorum lærna, vt ad exortum punicantis auroræ, atræ dissipantur nubes, sic absorpta est, posteaquam, Polonia Te in lucem editum, & ad sumæ dignitatis certam spem educatum Principem, in hoc fastigio honoris, quadam quasi specula collocauit. Regem tanta virtute ad omnia maxima pericula pro patria sustinenda, tantâ celeritate, ad omnes casus repentinos excipiendos, tantâ denique curâ tuendæ & augendæ Reipub. vt non iniuria, quisq; gloriaretur: creatum esse diuino munere Regem, quem omnibus votis omnes exoptabant, quem optimus quisq; maximè cupiebat, creatum esse Regem, qui Christianam pietatem tueri, religionem amplificare, diuina atq; humana rectissimè tractare nouit. Creatum esse Regem, qui cùm accepisset, esse volucrem, quæ rostro pectus dilacerat, vt pullos serpentum morsibus exanimatos, sanguine suo profuso in vitā reuocet, eiusdem volucris imaginem suis insignibus adiungendam curauit, vt ostenderet, se esse paratum pro suorum salute sanguinem suum profundere. Creatum esse Regem, qui labentem Reipublicæ statū, & iam pænè collapsum vt erigeret, atque ad pristinam stabilitatem & nitorem reduceret; etiam priuatus, vbi ex omnibus Regni partibus, finitimæ barbaræ gentes, primùm orientis plagam incolentes Turcæ horribili apparatu

insurgen-

insurgentes, ac truces Scythæ agminibus referti numerosis, ad intima vsque penetrantes, omnia incendijs funestissimis, ac vastationibus populationibusque horrendissimis, vnâ cum Dacis solo adæquant, illorum temeritatem omnem consilio, furorem fortitudine, audaciam virtute superauit, periculum à nobis omnibns vitæ suæ periculo depulit, barbaris in nos irruentibus iter corpore suo præclusit, quamque illi nobis pestem, & perniciem minitabantur in ipsorum capita conuertit; creatum deniq; esse Regem, qui Rempublicam Polonam tanquam parentẽ suam semper propriâ vitâ chariorem habuit: qui omni semper conatu nixus est, atque etiam quotidie magis enititur, vt eam non modò saluam, sed etiam successibus florentissimam videat, qui labore, ac vigilantiâ suâ, iam in plurimis & maximis rebus perspectâ, atque cognitâ, nihil earum rerum prætermisit, quæ ad optimum Regem, vindicem iniuriarum, Custodem libertatis, Iudicem cuiusque virtutis, & vitiorum, spectare videantur, Orem magnitudine incredibilem, vicissitudine temporum inusitatam, Sæculis inauditam, dignissimam summo Rege, & eius quodammodò propriam, omnium gentium literis, atque linguis condecorandam; Sileant Romani Nominis Imperatores, Scipiones, Metelli, Rutilij, Cottæ, Manlij, Camillij, Papirij, magna patriæ decora, & fortissima Maiestatis Romanæ robora;

horum facta non tàm fastidiosum est, quàm vanum numerare. Quis enim his crederet scriptoribus? quibus maiora quàm gesserint curæ scribere fuit, quiq; paternæ consulentes laudi, suos optimis insignire titulis consueuêre. Te verò Serenissime Rex, nulla vnquam ætas obliterabit, quum egregia operum tuorum monumenta relegerit, quibus perinde perpetuâ ferreris laude, ceu Hercules monstrorum Victor, & pacati orbis domitor, ô candidi niueo signandi lapide dies, qui Te talem peperêre principem, cuius auspicio bellicosa, suas profert Regiones Polonia, & validissimas Imperij habenas moderatur. Accedat Quintiliani acumē, grauitas Frontonis, Ciceronis facundia, Plinij lenitas, factis Tuis offucias obijcient; & quis tandem illum bellè laudarit? cuius facta sortem humanam egrediuntur, cuiusque laudibus nemo mortalium (vtcunq; graue tonet) satis est, nec si centum linguis ferreâque voce nitatur; id enim consecutus es vigore animi præstantissimo, quæ in homine rarissima sunt, rerum siquidem tùm humanarum, tùm diuinarum peritia splendescis, ceu Phæbus impari Musarum cohorte, quid vsquam est, cuius non moderator esse queas: si sapientiam tuam contemplor? solâ eâ, ab omnibus insigni effulges laude, si prudentiam? quam volunt humanarum rerum esse cognitionem, hâc solâ nemini Regum cedis. Age quantum illud? quo omnes

nostri

noſtri ſæculi Reges antecedis; munus diſciplinæ militaris, præcipuum decus & roboramentum Regni Poloniæ, quâ perſeuerantiâ illud proſequeris, quâ virium fortitudine illud amplexaris. Sileant nunc Rex Auguſte omnium Poloniæ Regum bellicæ illæ tantopere celebratæ laudes, taceant arma, quæ ſummum ferociſsimis nationibus terrorem incuſſerunt: clara illa & exornata trophæa illuſtrium victoriarum inſignia, & ornamenta in diſiunctiſsimis terrarum oris erecta, conticeſcunt; omnes eorum res bello geſtæ, quæ omnium ingeniorum vim dicendi, atque vbertatem ſuperare videbantur, Tuarum Virtutum ſplendore obrutæ deliteſcunt: obſcurat ſiquidem & obruit eorum omnium ſplendorem, lux Tui nominis, & vt orto ſole minora lumina noſtri adſpectus aciem effugiunt, ſic illæ quantumuis illuſtriſsimæ habeantur: tamen effusâ virtutum Tuarum luce, coarctatur omnium eorum fulgor, & euaneſcit. Nouit enim totus pænê occidens Tuam amplitudinem ſanctæ fidei, veræque religionis, & totius Chriſtiani orbis murum, antemurale propugnaculum, non modò contra Alanos, Hugros & Roxolanos vulgò Moſcouitas dictos: ſed contra Tartaros, Turcaſque. Neque enim aliud Regnum Chriſtianis ſupereſt, quod irruptiones Tartarorum ſæpiùs, & incurſiones barbarorum frequentiùs ſuſtineat, ac Regnum Poloniæ. Quoties Tartari vltrà

& cis Thauricum habitantes integris ( vt aiunt ) Hordis Regnum Poloniæ impetiuerunt? Quoties Moſcus,& ſine fide Valachus,quoties perfidus Turca, Lithuaniam, Ruſsiam, Samogitiam , Podoliam, Voliniam maximis copijs ſunt ingreſsi, vt profectò admiratione dignum ſit, tantâ & tàm frequenti hoſtium illuuie,non penitùs calcatam & obrutam fuiſſe Poloniam. At inuicta & inſuperabilis, vt Progenitorum Tuorum: ita & Tua maieſtas, & inuicti Polonorum animi, hoc omne quidquid fuit mali, inſuperabili animo vicerunt; ſemper enim armis, Iagellonum familia , & incredibili gloria floruit. Hinc profligati diuerſorum hoſtium validiſsimi exercitus, expugnatæ vrbes, exturbati Tyranni, abacta præda , impoſitæ barbaris nationibus leges; At quorſum hæc inquiet forſan Sacra Sereniſsima Maieſtas Tua , tàm altè longèque petita ? eò videlicet Sereniſsime Rex, vt cùm auitæ, & paternæ, atque adeò propriæ virtutis ſis memor, pietatis & religionis :non patiaris Regnorum olim decus Poloniã, opulentiæ matrem , aureum bonitate ſolum, campum militaris gloriæ , à tetra quadam in figura hominis bellua, terrore gentium, Regnorum procella Turcico Tyranno vaſtari, ſed vt totius Chriſtiani nominis hoſtem hæreditarium, ſatellitem ſatanæ, prodromum Antichriſti , Societati hominum infeſtam belluam, arceas à finibus Regni tui, omnemq;

ipſius

ipsius vim cædem, ferrum, & flammam, quæ cuncta Christianis regionibus minatur, ferro extinguas. Nam sic Tibi, sic subditorum saluti, sic dominiorum Tuorum paci, & tranquillitati, sic fidei Catholicæ optimè erit consultum, atque apud exteros immortalem Tibi consecrabis memoriã, & apud Deũ Optimum Maximum cælestis Regni promereberis coronam. Qua in re etsi deessent Tibi, vt non desunt potentissimi Heróès, Christiani orbis Principes Excellentissimi, qui summâ vigilantia hostes ab Imperijs suis cohibent, & arcent. Te tamen nos Rex inuictissime, de integritate Reipublicæ nostræ rectè animatum minimè ambigeremus; non modò ob amoris atque pietatis in Rempublicam Polonam plenissima opera: verùm & ob hoc, quòd per latissimos Regni Poloniæ fines, edicta publica, amorem sanctissimæ memoriæ Parentis Tui testantia, habeas, quibus beata illa mens, hostes procul à Dominijs suis propellere, & arcere studuit. Sed quid ego hæc admirabundus commemoro? quasi nescirem, Te omnium laudatissimarum rerum atq; virtutum ita mollitum esse fundamenta: vt qui Sacram Serenis. M. Tuam aspexerint, non oris solùm dignitate, cæterisque corporis lineamentis exactè: sed quod præstantius est, & in quo vera laus est, virtutis, consilij, industriæ, fortitudinis Paternæ viuam effigiem intuebuntur. Eo enim parente Sacra Serenis. M.

Tua progenita eſt, cuius laus nullis omninò exequatur præconijs, ſed ipſa de ſe apprimè eſt illuſtris. Ex eo virtutes ita agminatim reſplendebant, vt præter luculentiſsimas fortunas, ac eximias corporis dotes, difficilè iudicatu ſit, fortior, prudentiorue, aut humanior fuerit. In his omnibus ita excellebat, & præſtabat cæteris orbis Chriſtiani principibus, velut inter ſyderum ignes aureus elucet Heſperus. Tantâ enim viguit in agendis rebus prudentiâ (quæ virtus cæterarum vt Plato exiſtimat Dux eſt) vt communi procerum aſſenſu modò ſoli orienti, modò oceano compararetur; & rectè, vt enim ſol fons lucis, oceanus ortus puteorum, & aquarum omnium parens: ſic Sigiſmundus III. omnium Heroicarum virtutum Maieſtas, addo cum Iuſtiniano Imperatore omnis honeſtatis Pater: atque vt ſolis radijs veſtiuntur, calore animantur, oceani venis reſperguntur & aluntur omnia: ſic ex diuinis Sigiſmundi III. Regis Poloniæ virtutibus, lumen, ſpiritum, alimentum nectare & ambroſiâ ſuauius, omnes imperio eius ſubiecti perceperunt. Accedit quòd vt in ſole oriente & occidente gratiſsimi colores ad oculorum miraculum cernuntur: in oceano tot rerum opulentia, tot littorum decor, tot inſularum amænitas delectationem conciliat; ſic in Sigiſmundi III. Regis Poloniæ animo, tot margaritæ, tot lumina, tot faces, tàm varia, tàm recondita, tàm prompta rerum

omnium

omnium copia fuit; vt priùs huic diſplicerent roſæ & balſama, cui non placeret Sigiſmundus. Quid hìc dicam de eius integritate, innocentia probitate, modeſtia, manſuetudine, temperantia; & imprimis, de eius erga ſubditos miti facilitate & ſuaui humanitate, quibus animos omnium attrahebat, ac arctiſſimè deuinciebat, vt omnium beneuolentiam in ſe prouocaret, & potiſsimùm hinc, quòd cauſis pauperum velut alter Traianus aures ſemper paratas præberet: & plurima pro Reipub. vtilitate, prouidè ac ſalubriter ſtatueret; vnde ſummus in eum fuit amor; promptum obſequendi ſtudium: paratiſsimus obediendi animus: vt iam non ſicut Princeps, aut Dominus timeretur, ſed velut communis pater ab omnibus amaretur. Itaque pro meritis, vti alter Auguſtus Patriæ patris nuncupationem utique gratiſſimam meruit: omninò obſecutus memorabilibus Claudiani verſibus, in penitiſsimis Principum præcordijs ſemper recondendis.

*Tu ciuem Patremq́; geras, Tu conſule cunctis*
*Nec Tibi, nec Tua te moueant, ſed publica vota*
*In commune iubes: ſi quid cenſeſq́; tenendum,*
*Primus iuſſa ſubi: tunc obſeruantior æqui*
*Fit populus: nec ferre vetat, cùm viderit ipſum*
*Authorem parere ſibi: componitur orbis*
*Regis ad exemplum, nec ſibi inflectere ſenſus*
*Humanos edicta valent, quum vita regentis*

*Mobile*

*Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.*

Et vt in ſumma Tanti Regis præclariſsimas explicem virtutes: qui pacis belliq́ue probè callebat artes. Commendantur apud veteres ſingulis virtutibus, quibus peculiariter excelluerunt plurimi: P. Numa religione, Neſtor præſtantiâ eloquentiæ, amore Patriæ Fabius Maximus, conſtantiâ Attilius Regulus, Ariſtides Iuſtitiâ, Themiſtocles fortitudine animi, Auguſtus humanitate, ciuilitate Adrianus, Traianus clementiâ, affabilitate Alexander Seuerus: Quibus omnibus Sigiſmundus Rex Poloniæ theatrum virtutum, omnibus animi dotibus euectus comparari veriſsimè poſſet. Nam præter controuerſiam talis ac Tantus fuit, vt beatorum agminibus aggregaretur, quod ſi plures tales forent in Republica Reges, profectò nihil eſſet, cur Aſtræa terras deſereret. Hoc ergò Parente, in quem probi Regis omnia decora, velut in compendium dignitatis humanæ congeſsit omnium rerum Opifex Deus, cùm ſis Sereniſsime Rex procreatus: haud quidquam à regula rectæ rationis aberrando auſpicatus hic dies ab omnibus dicitur, quo Rector ille Regum, Regem Te conſortio optatiſsimæ Matris Reipublicæ Polonæ dixit, & inaugurauit: Tu illius (nec dubitamus) decus es, in quo vno tot ornamenta repererunt proceres R. Poloniæ, quot in alijs principum optimis ac maximis vix memoria antiquitatis oſten-

oſtendere poſsis. Nolo ego hoc in loco Sereniſsime Rex tuas virtutes pertractare, id facere nõ puto hominis mediocris, neq; parũ eruditi cenſeo, ſed eius, qui diuino ingenij ſit acumine, multarumq; rerum ſcientiâ cæteros antecellat; id ſolùm dicere auſim, præter humanitatem, quam tibi cælitùs miſſam omnes admirantur; lætantur Populi, congratulantur Ciuitates, exultant municipia, ſanctiſsimam in Te eſſe vitæ frugalitatem, in fideque Catholica deuotiſsimam Religionem, cultiſsimam morum venuſtatem, quæ in Te omnia, amabilem Te omnibus effecerunt. Neque enim fieri facilè poteſt, vt qui rectas animi rationes, ſemper ab ineunte ætate ſuſceperit, & per omne vitæ ſuæ tempus nihil aliud, quàm de virtute, atque honeſtate cogitarit: is ſuperueniente ætate vſu rerum inſtructiſsima, aliquid aut indecorè, aut minùs ſapienter efficiat. Has tantas virtutes, quæ à teneris vnguiculis Te ſunt comitatæ, ornat & illuſtrat corporis Tui viuax, agilis, atque heroica imago, egregia ſtatura, regia oris maieſtas, decora Tua facies, in qua cæleſtes Natura vultus ſignaſſe videtur, vt vel ſolo aſpectu, inclytiſſimis Regni Poloniæ faſcibus digniſsimus indiceris: accedit regia munificentia, animus ingens, formidinis prorſus expers, firmiſsima Paternæ Iuſtitiæ veſtigia, certiſsimaque prudentiæ ſimulachra. Hæc aliaque innumera, quæ ſciens prætereo, dum quid-

dam in Te regiâ Celsitudine dignum ominantur, atque præsagiunt, è florentissimo potentissimoque Poloniæ Regno incolæ, nullas alias sequuti aues, quàm quo Tu excelso animo, quâ heroica virtute, quibus fatis natus, & cui parenti succedas, secum perpendentes; congregato vniuerso Polonorum primo, haud longè post Lithuanorum Principum atque Procerum flore, Deo optimo auspice, fæcundissimis insuper Tuis virtutibus interuenientibus, Rex es Poloniæ inauguratus. Quid potuit, quæso, Fortissime Rex, eius diei spectaculo, vel videri lætius, vel audiri iucundius, vbi passim inter confertissimas plaudentium nobilium, & aggaudentis vulgi Cateruas, in salutem Tuam acclamatur. halcyonia Rex noster experiatur tempora, felicem Te, feliciores se iactant, supinis manibus Deo altissimo immortales gratias agendo, quòd talis Regno Poloniæ Rex sit inauguratus, qualem ex omni mortali numero, neque deligere, neque votis optare potuissent. Polonia enim, per vastum orbis ambitum decantatissima, bellicæ virtutis spectarix, religionis Christianæ assertrix, quæ se orthodoxæ fidei hostibus viriliter opponere nunquam extimuit: quæ trophæis pro Christo, in omni orbis angulo gloriosè erectis, perfidissimos Turcarum animos sæpè dispulit, interfregit, contudit. Polonia inquam, haud leuibus ducebatur ostentis, Te inuicti

robo-

roboris principem, dum fata Regno præficiunt, & nouâ hac regiæ dignitatis accesione auctum nostrum esse commune gaudium, nostram spem, nostras delicias dicunt. Neque tantùm nos in terris honore Tuo mirandum in modum gaudemus: Verùm etiam beatorum animos in cælo, & præcipuè sublimem illum Heróèm, Parentem Tuum Charissimum, huius Regni nostri Patronum, cui iam dudum inter Numina caput, & medio sedes statuta cælo est, cuiusque Tu sanctisimis sedibus inauguratus es, non mediocrem cæpisse voluptatem existimamus: atque ideo conuersum, ad illam Totius mundi Mentem, quæ procurat vniuersa, primò ei gratias egisse arbitramur, deinde pro Tua salute preces eidem fudisse, ac rogasse, vt quemadmodum, ipse Regnum Poloniæ diu, feliciterque gubernauit: sic etiam Tu, qui succesisti illi, non minùs benè beatèque Rempublicam nostram administres, atque eò vehementiùs, quò certiùs agnoscis, Maiestati Tuæ obiectam esse materiam, exerendæ suæ virtutis in Ecclesiam, in Rempublicam pietatis, in Academiam Cracouień. beneficentiæ; Cuius illustre sydus domui eius vbi illuxerit, solque clementi Fauonio è summo regiæ dignitatis loco delatus, suos radios in eam effuderit? dicto citiùs nostræ literariæ Reipub. fluctuans cymba, infestis turbidisque huc vsque agitata procellis, ad optatos exitus prouehe-

uehetur, Sacrosanctæ Regiæ Maiestati supplicando, vt hanc suam Academiam, rutilantissimum virtutum, honestissimarumque artium & scientiarum iubar, quod tam pio atque deuoto studio, tanto religionis Zelo, suis maioribus est fundatum, Sacrosanctis constitutionibus, & priuilegijs firmissimè vallatum, nullis iniuriæ nebulis contenebrari, nullâ aduersæ, aut obnoxiæ nubis caligine obnubilari, patiatur. Tu verò Deus summe Optime, ac totius machinæ Opifex, cuius numen ineffabile est, & maiestas incomprehensa, Te oro ac precor, vt VLADISLAVM IIII. Optimū clementissimumq; Poloniæ Regem, ac vitæ sinceritate integerrimum, diutissimè foueas, ac tuearis, vt ei annos Nestoreos largiaris, vt eius votis annuas, vt eum beneficijs Tuis cumules, ornes, illustres, vt virtutibus factisq; clarissimis inter mortales famam immortalem, & nomen apud posteros semper duraturum sibi comparet, ac tandem plenus annorum, serus redeat in cælum, ipseque beatissimus æuo perfruatur sempiterno.

D I X I.

an-
vir-
um
nto
Sa-
ſsi-
ari,
bi-
to-
eſt,
, vt
nq;
m,
eos
cijs
ſq;
, &
m-
in